



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mater Amoris Et Doloris

Ginther, Anton

Augustæe Vindelicorum, 1711

VD18 15312348

Consideratio IV. Dolorosa Virgo in aurora, & juxta piscinam probaticam (futuræ Passionis typum) in lucem nascitur. Emblema. Aurora diem orbi prænuntians, & terram rore suo fæcundans cum inscripto ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47286](#)

CONSIDERATIO IV.

Dolorosa Virgo in aurora, & juxta piscinam probatica (futuræ passionis typum) in lucem nascitur.



*Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora con-
surgens ? Cant. 6. 9.*

Multis , variisque plagiis contumacem quondam ac re-
bellem Ægyptium flagellavit D E U S justus scelerum
& scelerorum vindex, inter quas plaga non mini-
ma fuit caliginosa illa nox , ac densissimæ tenebræ ,
quibus universa Tellus Niliaca per triduum affligeba-
tur : Extenditque Moyses manum suam in cælum, & factæ sunt tenebræ hor- Exod. 10. 22.
ribiles in universa terra Ægypti tribus diebus ; nemo vidit fratrem suum,
neq; movit se de loco , ubi erat &c.

Mater Dolorosa.

E

Ad-

Adverte: talis rerum facies, mundique status extitit, antequam VERBUM incarnaretur, ubique tunc erant tenebræ peccatorum, & servitus idolorum, ac ignorantiae legum reuelabant populos: Et tenebrae erant superfaciem abyssi; tunc verificatur illud Osee Prophetæ: Maledictum & mendacium, & homicidium & furtum & adulterium insundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit Sc. Tunc nulli in celo adhuc erant Beati, nulli in mundo Iusti, vel admodum pauci, sed omnes se debant in tenebris & in umbra mortis, quia cor eorum non erat rectum cum DEO, nec fideles habitis sunt in testamento ejus.

Sed DEO. T. O. M. sint laudes infinitæ, ubi post hanc longam & caliginosam noctem (hoc est post quatuor millia annorum à creatione mundi) tandem illuxit B. Virginis MARIAE ortus, tunc mundo immundo prima lux & optata cceli aurora oriri visa est, quæ Solem justitiæ, qui est Christus DEUS, brevi venturum, & per Sanguinem suum in cruce mundum deperditum redempturum prænuntiarer; in quem finem pro Symbolo nostro auroram rorantem (quia aurora à rore nomen habet) statuimus cum lemmate:

Aurora ab lacrymis.

Laerymæ enim SS. Parentum & SS. Patrum hanc SS. Deiparam impetrârunt.

B. Pet. Dam. 2. Nata est autem hæc SS. Deipara sub tempus primæ auroræ juxta Piscinam Probaticam in Jerusalem, quæ tunc à SS. Parentibus Serm. de Af- sumpt. nomen accepit MARIA; singula innuunt aliquid, attentum te esse cu- & Dam. Asc. 4. pio. Cùm quandam gens Hebræorum ob crudele edictum impij A- mani jam jam ad necem & interitum venundata mærore & angore penè conficeretur, & quasi semimortua supremam lanienæ suæ diem expecta- & fidei. c. 15. ret; ecce subito illi in hac caliginosa nocte nova lux & fida dux in me- dijs tribulationum tenebris assulxit, dum DEUS cor Esther Reginæ com- movit, ut ad Assuerum, potentissimum Persarum Regem ingrederetur, à quo non duntaxat veniam suæ genti obtinuit, sed & ut litteræ omnes de maestandis Judæis in Susam & alijs in locis revocarentur; ad quod Esther. c. 16. Scriptura subjungit: Judæis autem nova lux oriri visa est, gaudium, honor & tripudium apud omnes populos, urbes atque provincias.

Mirramus umbras; an non universum genus humanum miseri- mè in tenebris peccatorum per tot sæcula oberrans, jam jam ad mortem æternam erat à Divina Nemesis destinatum? litteræ, quibus ad sempi- ternum

ternæ damnationis barathrum à Divino Consistorio erat condemnatum, jam erant exaratae, & vivâ voce per Prophetas publicatae: *Anima, quæ Ezech. 18. 4.*
peccaverit, ipsa morietur &c. Et quis tum temporum intervallo non erat in peccatis? Vatem Jessæum consule: *Omnes declinaverunt, simul Psal. 13. 3.*
inutiles factisunt: non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum; quid ergo in re tantoperè desperata consilij? O miram pientissimi Numinis clementiam! Nascitur tandem sub sideris antelucani & auroræ tempus die 8. Septembris tot SS. Patrum & piarum mentium votis summè exoptata Virgo, ac tanto orbis Redemptore digna Mater, quæ Solem Justitiae præcurrans, cœlo & mundo gaudium annuntiavit universo; ubi adimplerunt fuit, quod de Regina Esther quondam prædicatum est: *Nova Eßb. 8. 16.*
lux oriri visa est, gaudium & honor & tripudium apud omnes populos, urbē atque provincias.

3. Hanc sacratissimæ Deiparentis natalem prævidit Elias Propheta *Jo. Ep. His-*
tarum zelosissimus sub umbra illius nubeculae super mare Mediterraneū *rosol. de In-*
post tam diurnam terræ siccitatem exurgentis: *Ecce nubecula parva, sit. Mon.*
quasi vestigium hominis ascendebat de mari. Hanc diem revelavit DEUS *3. Reg. 18.*
servo suo Abrahamo: *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem 44.*
mem: vidit, & gavisus est. Eandem David Israëlitarum Rex subtypo *Jo. 8. 56.*
Arcæ foederis agnoscit; proin totis viribus, & insolito gaudio perfusus
coram eadem arca saltavit: *Et David saltavit totis viribus ante Domi-* *2. Reg. 6. 14.*
nūm; supra quod S. Ambrosius: *David elatus gadio in salutationem pro-* *S. Ambr.*
rumpit, providebat enim in spiritu MARIA M de germino suo nascituram. *Serm. se-*
Hanc & cœlestes illi Spiritus sub typō nascentis auroræ prævidebant, unde admirabundi *Cant. 6. 9.*
occlamabant: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora* *Rup. Abb.*
consurgens? supra quod pereleganter Rupertus Abbas: *Quando nata es,* *in hunc loc.*
inquit, o Beata Virgo, tunc vera nobis aurora surrexit, aurora prænuntia *Cant.*
diei sempiterne; quia sicut aurora quotidiana finis præterite noctis est, &
initium diei sequentis, sic nativitas tua, nativitas ex semine Abrahæ, clara
ex stirpe David, ad quos cum iuramento DEI facta est re promissio benedictionis,
finis dolorum, & consolationis fuit initium, finis tristitiae, & latitudo no-
bis extitit principium.

4. O mortales omnes gaudete; hac die nata est fortis illa Muli-
lier, quæ venenosum callidi serpentis caput conteret: *Ipsa conteret Gen. 3. 15.*
caput tuum. Hac die vinea illa uberrima ex Anna pullulavit, quæ u-
vam proferet suavissimam, botticumque illum Cypri dulcissimum, pro *S. Jo. Da-*
mundi salute in rotulari crucis calcandum. Hac die plantatus est il- *mæsc. orat.*
le 1. de Nat. *B. V.*



Gen. 2. 8. le hortus pāradisi , in quo collocandus erat novus & innocentissimus A-
 dam Secundus : Plantaverat autem Dominus DEUS parađisum voluptatis
S. Proclus in Gen. 1. à principio , in quo posuit hominem , quem formaverat . Supra quod San-
 ctus Proclus : *Hec est secundi Adami paradisus ; & Mellifluus : Hortus*
S. Bernh. planè delitiarum MARIA est . Hac die præparatus erat pretiosissimus
Serm. 2. de Nat. ille lectulus , quem sexaginta ex fortissimis ambiebant , in quo pacifi-
Cant. 3. 7. cus ille Salomon , imò qui plus est , quam Salomon , Christus JESUS ,
Exod. 2. 3. Dominus ac DEUS noster per novem mensium spatium quiesceret : Eu-
S. Ambr. in c. 6. Apoc. leclulum Salomonis . Hac die parata est illa fiscella scirpea , in qua My-
 sticus ille Moyses aquis tribulationum hujus mundi expositus servaret :
S. Aug. tract. si. in Joan. Sumpit fiscellam scirpeam , & linivit eam bitumine ac pice : posuitque intus
Gen. 40. 20. infantulum , & exposuit eum in carecto ripa fluminis ; supra quod D. Am-
Marc. 6. 21. brosius : Per fiscellam scirpeam Beata Virgo MARIA designata est , Moy-
 ses Christum figurabat &c. Hac denique die excultus est ille ager be-
 nedictionis , ex quo effloresceret granum illud elestum , & frumentum E-
 lectorum in salutem animarum in cruce mortificandum : *Ipse Dominus*
Eccles. in Of- *JESUS* , air S. Augustinus , erat granum mortificandum , & multiplicandum :
fici. mortificandum infidelitate Judeorum , multiplicandum fide populorum &c.
 O felicissimum natalem Virginis ! Pharaon Ægyptiorum Rex in veteri
 testamento , & Herodes in novo diem suum Natalem magna cum festi-
 vitate celebrasse dicuntur ; verùm utérque hanc sui natalitij diei festi-
 vitatem profusione humani sanguinis cruentavit , dum ille Præpositum
 pistorum , hic Sanctum Joannem , Domini Præcursum , in carcere ob-
 truncavit ; percant illorum dies natales , qui ad exitium aliorum & ad
 interitum animarum nati sunt , melius enim erat , si nati non fuissent ;
 sed tua Nativitas o DEI Genitrix Virgo , gaudium annuntiavit universo
 mundo : ex te enim ortus est Sol iustitiae , Christus DEUS noster , qui solvens
 maledictionem , dedit nobis benedictionem , & confundens mortem , donavit
 nobis vitam sempiternam .

S. Ambros.
Spinola in Med. die II.
Septembr.

Hinc nullatenus dubitandum , quia jam tunc in cunis SS. Angeli
 hanc designatam Deiparentem , ut Reginam suam , & celestium ruina-
 rum instauratricem peculiari honore venerati sint . Cura & tu Maria-
 ne Lector , in te excitare grandem hujus SS. DEI Genitricis existima-
 tionem , eamque pro viribus ama , & cole , dum jam tunc accelerato-
 rationis usu DEUM perfectè agnoscebat , & ardentissime amabat ; imò
 jam tunc (prout piè observat Venerandus P. Ambrosius Spinola) pro
 nobis DEU M deprecabatur , atque in illis cunis offerebat lacrymas ,
 &

& deflebat nostra peccata , dum divinitus edocta Verbum æternum in mundum venturum cognovit , & assumptâ naturâ humana , per passionem suam , crucem & mortem genus humanum , peccato perditum , redempturum ; quibus considerandis consideratis , prudenti Lectori abundè pater , jam tunc in cunis Sacratissimum cor Virginis doloris gladium pertransisse . Ah quantum obligati sumus huic SS. Deiparæ ! & eheu quantum distat adhuc cor nostrum ab hoc purissimo Corde MARIÆ , quæ concepta & nata est amica DEI , & filia gratiæ , nos autem filij iræ , filij gehennæ , & inimici DEI ; ô quantum oportet nos humiliari , si vel istam justâ lance ponderamus nostram miseriæ !

5. Progrediamur ulterius . Mirabilis fuit illa lucta , quam quondam Angelus cum Jacobo Patriarcha in patenti campo habuit : Ecce Vir luctabatur cum eo usque manè ; Tandem Angelus , ubi auroram in vestitu deaurato , roseisque fulgentem capillis in nubibus cœli progradientem , conspicatus est , quasi victus à Jacobo Dimissionem ab eo petit : Dimitte me , jam enim ascendit aurora . Res stupenda : quid est , quod Angelus tam festinum paraverit abitum , cùm auroram surgentem vidit ?

¶. Rupertus Abbas , Beatissimam Virginem in nativitate sua regnante ejusmodi auroræ assimilandam , de qua Angeli admirabundi decantabant : Quæ est ista , quæ progreditur quasi aurora consurgens ? per An. Cant. 6. 9. gelum vero cum Jacobo per noctem colluantem , Divinum illum magnique consilij Angelum , Filium DEI subaudimus , & per Jacobum genus humanum . Colluctabantur ergo invicem DEUS & homo per plura saecula ; luctabantur Patriarchæ & Prophetæ , cunctæque piorum anime ferventissimis precibus ac desiderijs , ut in tenebris peccatorum & in umbra mortis sedentibus tandem lux vera , quæ illuminat Jo. 3. 9. omnem hominem , venientem in hunc mundum , id est , Christus DEUS noster illucesceret . Vedit tandem DEI Filius MARIAM , velut mysticam auroram in nativitate sua consurgentem ; quid , inquietabat ad Patrem suum æternum , quid moror ulterius in cœlo ? ad quid luctor tam diu cum Jacobo , generis humani typo ? eja Pater : Dimitte me , jam Gen. 32. 24. enim ascendit aurora , hæc sola mihi inter omnes placuit : Descendam Exod. 3. 7. igitur , quia vidi afflictionem populi mei , & clamorem ejus audivi ; descendam , ut liberem eum per passionem meam , crucem , sanguinem , mortem : hæc mihi socia virtus , passionis ac redemptionis humanæ erit ; jam rutilat cœlum , tempestas erit , & pluvia in cruce sequetur Matth. 16. 3.

sanguinolenta , per quam mundus immundus non tam abluetur à for-
 dibus , quām & de novo ad ferendos bonorum operum fructus restau-
Azor p. 2. l. 1.
B. 19. q. 8.
 rabitur &c. Ex his facile rationem erues , quare pientissima Virgo
 sub aurorae tempus in lucem nata sit : *SS. Deipara*, ait Azorius , illu-
 escente aurora nata est ; adverte : aurora aut serenum aut pluviosum
 indicat diem , si clara & aurea est , candidum , gratumque præfigit
 diem , unde lemma : *Optatam feret illa diem* ; si autem roseo specta-
 bilis ore est , nimiumque rubicunda , brevi in pluvias solvetur , hinc
 rursus lemma : *Venturos indicat imbres* , vel brevius & melius : *Ru-
 bicunda procellas*. O pientissima Virgo , utrumque per gloriosam Na-
 tivitatem tuam mundo annuntiasti , dum optatam ei diem tulisti , &
 simul sanguineæ tempestatis in cruce futuræ nuntia & prodroma exti-
B. Pet. Dam.
Serm. 40.
 tisti : *Hec est* , ait B. Petrus Damianus , *aurora* , *quam sequitur* , *imò*
 de qua nascitur *Sol justitiae* &c.

6. Collige ex his anima Christiana aliquam pro te doctrinam :
B. Alb. M.
I. 7. de laud.
Deip. c. 7.
Ms. 45. 2.
S. Bernab. in
Serm. de
Nat.
Aurora , ait B. Albertus Magnus , idem est , quām *Aurea hora* , vel
Aura rorans , dum non tantum orbi in tenebris sepulto primam lu-
 cem producit , sed & fæcundissimo rore languentia terræ germina ,
 sata & gramina , flores , hortos & campos mirè refrigerat , atque
 fæcundat , unde lemma : *Cœlestis vegetat liquor*. Talis *aurora* , seu
aurea hora , vel *aura rorans* etiam Beatissima Virgo in sua gloriissi-
 ma nativitate nobis extitit , dum per eam Christus D E U S noster ,
 quem SS. Patres per plura fæcula cor ardentibus votis ut descendente-
 tem cœli coram desiderabant : *Rorate cœli desuper* , *Et nubes pluant*
justum , ad nos venire dignatus est , qui exinde arida mortalium cor-
 da gratiæ suæ rore mirè refrigeravit , fæcundavitque. Roga ô ani-
 me mi , & per dulcissimum COR SS. Matris ejus obsecra amantissi-
 mum Redemptorem , ut pariter cor tuum languidum , aridum ac te-
 pidum divino gratiæ rore dignetur perfundere : *Queramus gratiam* ,
 inquit Mellifluus , *Et per MARIAM queramus* , *quia quod querit invenit* , *Et frustrari non potest*.

Ad conspectum auroræ volucres cœli , quasi de novo redivivæ
 mirè exultare , Deumque creatorem suum concordibus laudare voci-
 bus solent ; econtrà noxiæ bestiæ , de nocte ad rapinas & cædes ex-
 currentes , & lucifugæ noctuae ad ortum illius primæ lucis tremulæ
 aufugiunt , obscurásque in sylvis repetunt latebras , proinde huic au-
 toræ non incongruè iterum problemate inscribes : *Illuminat* , *Et eli-*
nimat.

minat. MARIA recens nata hæc mystica & lucida aurora fuit, dum auream reduxit ætatem, ad cuius ortum mox aves cœli, hoc est, boni Angeli & piæ fidelium mentes mirè jubilabant; econtra noxiæ bestiæ & turpes noctuæ, hoc est, maligni Spiritus, qui prius orbi dœminabantur, ad conspectum hujus Mysticæ auroræ fugati, & in antra sua infernalia redire coacti sunt? & quemadmodum populus ille Israëliticus ad ortum auroræ, à durissima Ægyptiorum servitute à DEO Exod. 14. 24. liberatus, siccoque pede per Mare Rubrum in terram desiderabilem traductus est; impio econtra tyranno Pharaone cum universo exercitu suo in profundo maris submerso; sic per nativitatem B. Virginis, prout canit Ecclesia, *salus mundi credentibus apparuit, dæmoni verò* Jo. Patr. Ge- & exercitui ejus exitium ac interitus, dum hac ipsâ die Delphicum il- rosl. I. de o- lud Apollinis simulacrum, ex quo haec tenus dæmon ad gentiles lo- pere Monach. quebatur, horrendum edens sonum, in conspectu populi corruit, & P. P. *sicut quondam in castris Assyriorum in aurora una Mulier Hebræa* (Ju- Judith. 14. ditham intellige) fecit confusionem in domo Nabuchodonosor; ita una 16. *Mulier Hebræa & Virago MARIA* vix in lucem nata in castris prin- cipis tenebrarum & in domo Luciferi maximam causavit confusionem; ô pientissima! quām melius de te dicere possumus, quod olim de Ju- ditha plenis faucibus prædicatum est: *In gloria Jerusalem; tu latitia* Judith. 15. *Iraël, tu honorificentia populi nostiri.*

Ad adventum auroræ universa terræ facies exhileratur: ægri, qui totâ nocte cum acerbis conflictabantur doloribus, refocillantur, ac respirant; pecora & jumenta læta ad pascua se parant; artifex, vil- lani & operarij ad labores se se accingunt: *Exibit homo ad opus suum*, Psal. 103. 23. *& ad operationem suam usque ad vesperum.* Verbo: ad adventum au- ræ universa reviviscit natura. O Bone D E U S, tu es, qui fabricatus Psal. 73. 16. es auroram & solem; per auroram SS. Matrem tuam, sub tempus au- roræ in lucem natam, & per Solem ejus Filium, tanquam Sponsum de thalamo Virgineo prodeuntem, agnoscimus, quid non sperare pos- sumus sub patrocinio tantæ Matris, quæ Nata, Parénsque fuit?

7. Nata est autem hæc SS. Virgo iuxta S. Damascenum & plures S. Ioa. Da- alios Jerosolymis in domo Probatice Joachim & Annæ, hoc est, iuxta mas. I. 4. celeberrimam illam Piscinam probaticam, ubi jacebat multitudo magna &c. de fide, c. 16. languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expestantium aquæ mo- Jean. 5. 3. tum; & quid, obsecro, hoc aliud præsignabat, quām quod mitissima illa Virgo & Mater DEI electa in hoc magno mundi Xenodochio futura effet

esset exoptata salus infirmorum, refugium peccatorum, solatium afflitorum, & omnium languentium animarum securum asylum? sic non immerito huic Mysticæ nostræ Piscinæ Probaticæ pro lemmate majoribus & aureis characteribus inscribimus: AFFLICTIS SPES UNICA REBUS. O Christiani! ô miseri, ô languidi, imò & desperabundi respire: MARIA, ait Doctor Mellifluus, omnibus misericordie simum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi: captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gloriam, Angelus lœtiam, denique tota Trinitas gloriam, Filij Persona carnis humanæ substantiam, ut non sit, qui se abscondat à calore ejus. Ah quid times anime mi, accedere ad hanc pientissimam Matrem tuam? Mater est, & sufficit.

Nata autem fuit, prout dictum est, & quod bene observandum, juxta Piscinam Probaticam, quæ habebat quinque porticus, cuius aquæ semper rubebant ex cruce victimarum, quæ in eadem abluebantur Piscina, priusquam in ara DEO per ignem cremarentur. Hæc, inquam Piscina typus elegantissimus Dominicæ Passionis fuit; ita D. Antonius Paduanus. Piscina est passio Christi, porticus quinque vulnera ejus; addit Ludolphus Carthusianus, in eadem piscina illud lignum tempore Christi Passionis esse inventum, ex quo Crux fabricata est, in qua salutis author peperdit, & propriâ morte mortem omnium superavit; & juxta hanc Piscinam, observa, nata est in lucem Virgo illa intemerata & innocentissima, & quid hoc aliud præsignavit, quam quod aliquando juxta Crucem, ubi vera illa gratiarum piscina pro salute mundi foret adperienda, stare deberet, ut fidelis salutis nostræ advocata, & coadjutrix redempcionis, non quidem Redemptori nostro commoriendo, sed illi subministrando humanitatem, tanquam Divinitatis instrumentum, quo ipse redempcionem operaretur: Stabat autem juxta Crucem IESU Mater ejus &c. O pientissima, quis non amet te?



CON-